

## CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

Lucri tantum causa sacris adesse non oportere. Cap. XIII.

**V**Tinam optando a deo Opt. Max. consequi possimus, ne quisquam lucri causa diuinis interesset, alioqui non accessurus sacra, veluti quem nummi magis, quam dei amor in templum trahit, quæstum pietatem esse putans, qui, non dubium, ex numero eorum est, de quibus Esaias dixit. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, Nec multum his abest (vti plerisque doctissimis viris placuit) ab horrendo crimine Giezi, qui existimauit diuinum munus pecunia redimendum. Quare viderint clerici nostri, vt eorum mens & intentio tota in deum referatur, vt cum Dauid confiteantur deo in directione cordis ac in labijs suis pronuntiantes omnia iudicia oris eius. In via etiam testimoniorum domini delectentur sicut in omnibus diuinitijs. Optandum, vt Psalmus ille centesimus decimus octauus, qui toties non sine causa in ecclesijs replicatur ore simul & correspondente singulis verbis mente decantetur. Et cum eodem Psalte ex animo dicatur. Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo domine, quoniam bonum est. Non adimit Christus, sed decernit operanti suam mercedem: Dignus est enim operari mercede sua. Et: Qui altario deseruit, de altario & viuere. Sed interim cogitare debet clericus se viuere non vt edat, sed edere vt Christo viuatur, habereque semper menti reconditum Christi verbum: Primum querite regnum dei, & hæc omnia adijcientur vobis.

Capitula disciplinæ qualiter obseruanda. Cap. XIII.

**C**apitula vero disciplinæ (quæ vocant) multo maiori diligentia obseruentur atque hætenus. Id ita fiet, si non tam prophanæ quam res sacræ in his tractentur, Si de moribus inquiratur, si vita expendatur singulorum, Et quod olim sancti patres fecisse dinoscuntur extemporalis oratione, interdum commonerentur fratres. Et in primis ad sacras literas capeffendas instigarentur, atque vt in his optimas horas collocarent, incitarentur, quod hic reperiatur fons vitæ scaturiens, ex quo qui haurit, non sitit in æternum. Hic thesaurus euangelicus (propter quem oportet vendere vniuersa) reconditus sit, ex quo prudens ille paterfamilias profert noua & vetera.

Officium Decani in rebelles. Cap. XV.

**S**I quos Decanus rebelles cernat, si diuini cultus atque sui officij negligenteriores, si rixosos, si litigiosos, si percussores, si aleatores, si scorta fouentes, aut alijs publicis criminibus irretitos, atque hi fraternam correptionem audire reculauerint, agat in his Capitulis quod iubet Paulus: Peccantem coram omnibus corripere. Tum si relapsere nolint, arceat a sacris, prohibeat parti-